



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibus Cœram Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorum, 1609

5. Cap. De Confirmatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721

Quintus, illuminare intellectum, & fecundare affectum. De cæremonijs quæ à Catholicis adhibentur, in administratione Baptismi latè ex patribus Bellarmin. tomo 2. lib. 1. de sacramento Baptismi à cap. 25. tractat.

CAPVT V.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Quid est Confirmatio?

EST Vnctio chrismatis in fronte baptizati, facta ab Episcopo sub præscripta verborum forma.

Quæ materia & forma huius sacramenti?

MATERIA est chrisina ex oleo oliuarum, & balsamo confectum, & ab Episcopo consecratum. Non potest autem materia huius Sacramenti consecrari à simplici Sacerdote, nisi ex commissione Pontificis.

Forma huius Sacramenti ex Concilio Florentino, est, Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Confirmatio debet in formam crucis fieri, ita vt minister, crucis signo suscipientem muniat: Alioqui forma esset falsa, nam dicit, Signo te signo crucis.

C 3

Qui

Qui videre voluerit cæremonias huius Sacramenti explicatas, legat Catechismum Concilij Tridentini, de Sacramento Confirmationis, & Franciscum Cofferum in institutione Christianæ pietatis. Et Bellarmin. tom. 2. lib. 2. de Sacramento Confirmationis capite 13.

De Ministro.

MINISTER ordinarius est Episcopus ex Concil. Trident. can. 3. de Confirmatione, & traditione Ecclesiæ.

De Suscipientibus.

SA CR A M E N T U M confirmationis, potest dari omnibus fidelibus baptizatis, etiam paruulis ante usum rationis, vnde legitur quod antiquis temporibus, statim post Baptismum conferebatur, conueniens tamen videtur, nisi Episcoporum rara præsentia aliud postulet, vt Confirmatio differatur vsque ad septimum annum. Tunc enim pueri incipiunt habere usum rationis, & apti esse ad pugnam.

Si autem adulti confirmandi: vt gratiam Spiritus sancti recipiât, aut confiteri, aut peccatorum contritionem elicere debent, & de hac re à Parochis sedulò instruendi, quando tempus Confirmationis instat.

Patrinus etiam in hoc Sacramento, sicut
in

in Baptismo adhibetur, vnde etiam oritur affinitas spiritualis, & impedimentum matrimonij, vt in doctrina de matrimonio declarabitur.

Cum hoc sacramentum imprimat characterem, nullo modo est reiterandum.

De effectibus huius sacramenti.

EFFECTVS principalis est robur, & gratia Spiritus sancti, ad fortiter pugnandum, & constanter confitendum nomen Domini nostri Iesu Christi. Quare nullo modo quando se offert occasio Episcopi, est negligendum, & qui ob contemptum prætermittit, mortaliter peccat. Quia sacramentum contemnit, & Christum sacramenti auctorem spernit. Præter hunc effectum, imprimit etiam characterem, qui de necessitate præsupponit Baptismum.

CAPVT VI.

DE SACRAMENTO

Eucharistiæ.

IN primis notandum, quod Eucharistia *Eucharistia est sacramentum, sed etiam sacrificium: Agetur ergo hoc cap. de sacramento Eucharistiæ.*

C 4

Eucharistia.